



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 13. Sacerdotum matrimonia scriptis impugnata, necnon Missæ
Sacrificium in anglia restauratum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

autem eodem Mense Regina quosdam Sæcul. XVI.
A.C. 1554.
nominabat Commissarios, quorum princeps erat Gardinerus: His demandata est sollicitudo, ut Ecclesias a Clericis conjugatis expurgarent, unde præprimis quatuor Episcopi, nimirum Cestriensis, S. Davidis, & Bristoliensis, & Eboracensis Archiepiscopus, ac paulo post Lincolnensis, Glocestriensis & Herefordiensis Episcopi, qui omnes secta Protestantes erant, Sede sua ejiciebantur, aliis & quidem Catholicis a Regina in eorum locum subrogatis.

§. XIII.

Sacerdotum matrimonia scriptis impugnata, necnon Missæ Sacrificium in Anglia restauratum.

Ut Religionis studium, quo Regina Burnet hist. de Ref. t. 2. l. 2. p. 415.
fervebat, a calumniis vindicaretur, Sander. de schism. Angl. l. 2. p. 331.
plures contra incæstas Clericorum nuptias suos stringebant calamos. Hos inter præprimis Smithus librum suum de Sacerdotum cœlibatu magis auctum iterato prælo edebat: alius vero juris Doctor nomine Martinus circa idem argumentum quemdam librum, ad quem perficiendum ipse etiam Gardinerus operam suam contulisse creditur, evulgabat. Insuper juxta prioris Senatus legem

Sæcul. XVI. legem Missæ Sacrificium unacum Li-
A.C. 1554. turgia regnante Henrico VIII. usitata
 denuo in omnibus locis introduceba-
 tur; dum jam antea in pluribus oppi-
 dis rursus fides, ac liturgia Catholica
 in usum deducebatur, nec minus fue-
 runt Ecclesiæ denuo reparatæ, sacra-
 tæ, erectisque Altaribus ornatae: imo
 Sanderus hanc in rem ita loquitur:
ad Sanctum Sacrificium, Confessionem,
Communionem, publicas preces plebs alacri
studio concurrit, & ad Sacramentum qui-
dem confirmationis, quod in illa gente An-
glica supra quam in ulla alia natione co-
litur, & frequentatur: antiquissima enim
illuc traditione, & lege tenentur Parentes,
& patrini ad eum Episcopum, qui pri-
mus post suorum baptismum intra septem
milliaria venerit, parvulos confirmandos
deferre, & communi omnes Episcopi con-
sensu ad hujus Sacramenti administratio-
nem in quamcunque diœcesin, vel locum di-
verterint, sibi mutuo, & facultatem tribuunt,
& operam semper præstant: ad hoc, inquam,
Sacramentum, quia per totum fere sexen-
nium, quo Eduardus regnavit, legitime non
administrabatur, hinc innumerabilis parvu-
lorum ex omnibus Urbibus, oppidis, pa-
gis, agris turba deferebatur; nam infame
ibi, irreligiosum, & legibus puniendum est,
non esse sacro Chrismate ab Episcopo de-
libutum ante Septennium.

§. XIV.